IN NOMINE DOMINI AMEN

Quia omnia facta terrestria et ea que in ipso tempore geruntur, nisi scripturarum municione et litterarum ratificacione roborentur et quadam durabilitate stabilirentur, illa simul cum tempore tanquam caduca et momentanea ac quasi inerba prætereunt et ab humana evestigio labuntur memoria. Proinde ego Adam Wostowsky Tribunus Sanocen, in Wostowo et opido Nowotarnyecz heres, tenore presencium notum facio, universis et singulis, presentibus et futuris, quibus interest, harum presencium noticiam habituris, Quia provido Mathie Groretzky molendinatori vendidi perpetue et meum molendinum hereditarium in suburbio opidi Nowotarnyecz iacentem, pro summa sedecim marcarum pecuniae monete et numeri soliti et currentis, alias quamlibet marcam per grossos quadraginta octo computando. Ad quod molendinum prefatus Mathias et sui successores legittimi, habebit in perpetuum agrum superstitialem alias obshar quod vocant, adiunctum et legittime appropriatum, sine quavis dacione, censusque solucione, absque etc. obvencionibus precariis generaliter universis de agro predicto olim provenientibus, quod agrum inter Ioannis Gerycz agrum ex una, et inter limites seu granitiem ville Pyella parte ab altera situm atque circumferencialiter emensum est. Item idem Mathias et successores sui legittimi, habebit ortos duos ad prefatum molendinum, legittime ac spectanter adiunctos et adscriptos, unum videlicet ante Albertum Byczek inter sepes ville alias na nawszyu iacentem, etc. absque omni dacione ac census solucione. Alterum vero ortum ante Ioannem Gerycz etc. inter sepes ville alias na nawszyu, sine etc. omni dacione et census cuiuslibet solucione, exceptis gallis seu pullis sex, quos anno quolibet tempore ad id deputato et assignato, idem Mathias et sui successores reponere occasione precarii seu obvencionis debebunt atque sine omni excusacione dare tenebuntur. Item idem Mathias molendinator et sui successores porcos aut sues nullos ad curiam pro domino spectan[tes] fonebit neque saginabit, sed loco istius fabrilia ferrea, puta ipsa omnia ferra molendinaria antiqua quecunque necessaria fuerint, et trita vel destructa aut per laborem consumpta, tocies quocies opus fuerit, reparare acuere reformare suo ære suisque impensis tenebitur. Item idem Mathias et sui successores, ad reformandam seu coemendam serram molendinariam seu serratoriam alias tarczyczna, occasione quarte serrate que ad eum spectabit et pro eo cedet grossos quartum dare semper tenebitur. Item idem Mathias et successores sui, laborem omnem antiquum, puta foramina tectorum, parietes antiquos domorum etc. et id genus antiquitatis in edificiis curie omnibus, reformare reparare atque restaurare tenebitur. Novum vero laborem, puta edificia aliqua nova illa struere reedificare non tenebitur nisi salario seu precio mediante. Quibus itaque omnibus ita ut premissum est, prefatus Mathias et successores sui, erit potens et firmus pacifice et quiete perpetue et ... ad possidendum tenendum habendum utifruendum ac cum consensu domini pro summa ut supra assignata et descripta vendendum. Actum in domo curie mee peculiari in opido Nowotarnyecz, presentibus, providis, Mathia Crotus, preconsule, Ieronimo Czapka, Ioanne Byczkowycz, Matia Wyslocsky ceteris consulibus, Thoma Gorus viceadvocato, Stanislao Rosyal ceterisque scabinis iuratis et aliis quam plurimis concivibus et oppidanis fidedignis ad premissa vocatis. Ut igitur prefatorum omnium et singulorum grosa ac libera vendicio et agri ortorumque ad prescriptum molendinum rata ac firma admissio et aliarum rerum contractus perpetuis temporibus maneat incorruptus et in dissolubilis presentes literas sigillo meo peculiari in subappensione Zone serice corroborari et communiri mandavi. Datum in ipsa domo Curie Anno domini millesimo Quingentesimo Trigesimo octavo. Die vero ultima mensis Marcii

Venditio Molendini
walgi Goreski nob[illegible]
[illegible] a Domino
Adamo [illegible] Zlonski